

בשם ישוע

משיחנו:

שד שלמן בית ארבאל:

SCHOD SCHALMAN  
BETH ARBEL,

*Sive*

COMMENTARIUS

super Vaticinium Hoseæ cap. X, 14.

*quem,*

P R Æ S I D E

DN. MATTHÆO HILLERO,

SS. Theologiæ Professore Extraordinario,

Linguarum Græcæ & Hebraicæ

Ordinario,

PRÆCEPTORE AC PATRONO SUO ÆTERNUM

DEVENERANDO,

Pro consequendis summis in Philosophiâ

Honoribus

*Eruditorum Examinis submittet*

CHRISTOPHORUS MATTHÆUS PFAFF, Stuttgard.

Serenissimi Stipend.

*Ad die VII. Aprilis*

*In*

AULÆ ORIO PHILOSOPHORUM ÆSTIVO,

TUBINGÆ,

Typis JOH. CONRADI REISTI,

MDCCLXXII.

oll. diss. A  
S 2, 21

a. 211, 21



Hoseæ Cap. X. v. 14.

וְקָאֵם שְׂאוֹן בְּעַמִּיהָ זָכַל - מִבְּצֻרֶיהָ יוֹשֵׁד כְּשֵׁד שְׁלֵמֹן בְּיַת  
 אַרְבָּאל בְּיוֹם מִלְחָמָה אִם עַל-בְּנֵי רִטְשָׁה:

CAP. I.

S U M M A R I A.

Schalman non est Salmanasser, nec Pacificum designat. Thargum Jonathæ explicatur. ך litera in quadratis iterandum in ך con-  
 verti solet. Exponitur origo nominum Chargol, Barzel, Er'el. Arbel non est adpellativum, sed civitatis vocabulum. Arbela tria  
 apud Hieronymum. Har Baala quid sit, in ambiguo. Arbela in  
 tribu Issachar, Dabaritta est Daberath seu Thabor in Issacaris  
 tribu. Magnus Campus in Fl. Josepho. Emendatur locus 1. Macc.  
 9. 2. Galil, quæ & Gilgal seu Galilæa. ך inseparata particula  
 prope seu juxta denotat. Arbel eadem, quæ Harabbith. Jos. XIX,  
 20. Urbium Synonyma significatibus conveniunt.

**N**on exiguam in hoc vaticinio duarum vocum ignorantia ob-  
 scuritatem peperit, SCHALMAN & BETH-ARBEL. Et  
 Schalman quidem alii Madianitarum Principem Salmuna, ut  
 Grotius: alii Salmanasserem, alii alium interpretati sunt. Jona-  
 than Chaldaeus, quod adpellativum crederet, in Pacificum vertit. Non meren-  
 tur singulae opiniones quæ argumentis refellantur, nisi ea, quam hætenus re-  
 liquis DDres nostri antetulerent, existimantes, Salmanasserem vocabulo Sal-  
 man notari. Quod autem eam in re cum iis dissentimus, plura faciunt. Nam  
 primò non extat exemplum nominis barbari, quod partibus suis sit mutilatum.  
 Quæ enim afferunt decurtationis exempla, urbium sunt Hebraicarum vocabu-  
 la, vel ex profanis Autoribus collecta, fabulas sapiunt, vel à librariis cor-  
 rupta nullam in firmandâ sacrarum literarum consuetudine vim habent.  
 Deinde, quum atrocissimæ excidionis documentum adferat Propheta, in  
 primâ expeditione aut ascensu Salmanassarum (nec enim audent cladis po-  
 sterioris facere mentionem, ne ætatem Prophetæ justo longius extendant)  
 nihil gestum legimus, quod divini vaticinii veritatem expleverit. Quid  
 enim aliud secundus Regum de Salmanassare memorat, quàm tributarium  
 fecisse Hoseam, quum primum in expeditionem exercitum misit. De va-  
 statione arcium, de Arbelorum dirissimâ everfione, de vastatione in talio-  
 nem factâ, quam vastatori Arbelis tribuit, de matre denique filiis collisâ  
 altura

altum silentium. Nobis ergò penitiùs structuram vocum consideranti-  
 bus, שַׁלְמָן Schalman in aperto est, Hebraicam dictionem esse, nec aliter,  
 quàm adpellativè sumendam. Est enim collectanea nomen שַׁלְמוֹן  
 Schalmon, שִׁלְלֵם Schillem & שִׁלְלִים Schillum, Esai. 1. 23. Deut. 32. 35.  
 Hofe. 9. 7. quæ retributionem & compensationem sonant. Sequitur autem  
 formam nominis אֲבָדָן abdan, cujus absolutum est אֲבָדָה perditio. Talia  
 בַּרְקָן barkan, oxycantha, אֶלְמָן alman, viduus, & in propriis Achban, di-  
 lectus, & Malcan, idem, quod Malcam sive Milcom, & à Rabbiniis frequenta-  
 ta שְׂקָרָן & רַחֲמָן, à quo in Scripturis extat fœmininum רַחֲמָנִיּוֹת Rach-  
 manioth, misericordes. Quæ si rectè à nobis exposita, verborum Hofeæ  
 talis fuerit interpretatio: **SECUNDUM VASTATIONEM TALIONIS**  
**BETH ARBEL**, i. e. secundùm vastationem, quæ facta in talionem scele-  
 rum domûs Arbel, quod, quâ mente dictum sit, deinceps declarabitur.  
 Nunc ad Beth-Arbel venio, cujus nominis rationem atque sensum anxie  
 quæsiverunt expositores. Chaldaus istud secundùm interpretationem suam  
 accepit, vertit enim: וְכָל כְּרֶכֶךְ יִתְכַזְּזוּן כְּבֹזֵת שְׁלֵמָא בְּכַמְנָא בְּיוֹמָא  
 : וְכָל כְּרֶכֶךְ יִתְכַזְּזוּן כְּבֹזֵת שְׁלֵמָא בְּכַמְנָא בְּיוֹמָא omnes arces tuæ vastabuntur, sicut vastatur pacificus per insidias,  
 tempore belli. Sunt, qui cum negligentia insimulant, ut, qui nullam rationem  
 habuerit nominis בֵּית Beth, nullam quoque nominis אֵל El. Sed innocenti  
 probrum istud ingeritur. Accepit enim Beth-Arbel cum solitâ ellipsi בְּ  
 & arbel, quasi deductum ab arber, cujus congenera nomina אֶרֶב & אֶרְבָּ  
 notant insidias. Noverat enim, quod correctores penitiùs latuit, רַ literam  
 in quadatis repetendam ferè in חְ verti. Sic enim extitere voces Chirbel  
 & Chirber, *textit*, Chargol, locusta, quod cum horrore per aërem fertur  
 pro Chargot, Er'el, *plane leoninus*, validus, magnus, pro Ar'ar, barzel vel  
 parzel, ferrum, pro birzer aut parzer, dispersit. Nihilo tamen minus nec ea  
 expositione se nobis probavit Jonathan, quid enim fiet אֵל literâ quiescente,  
 quam non debebat pro matre lectionis accipere, utpote originem alteru-  
 trius in composito partis insinuante, ut in יִשְׁמַעְאֵל: יִזְרְעֵאל: יִחְזַקְאֵל:  
 Jam mediocriter doctus intellexerit, similitudinem exterminii non ab  
 homine peti, cui altissimâ pace sopito struuntur insidiae, sed historiam  
 & exemplum proponi urbis vel familiae atrocissimè haut ita pridem puni-  
 ta. Itaque Kimchius & AbenEzra deserunt Jonatham, quorum hic qui-  
 dem, Betharbel loci nomen, ille Arbel Viri adpellationem esse conten-  
 dit. Neque Christianorum quisquam, quod equidem noverim, Chaldaei  
 sententiam sequitur, plerisq; vel hominis nomen cum Græcis & Vulgato,  
 vel urbis vocabulum, ut doctissimi Interpretum, intelligentibus. Ab his  
 qui-

qui-

quidem, quod rationibus haut invalidis sententiam suam muniverunt, nos quoque stantes, civitatis in Palæstinâ nomen fuisse, contendimus. Ceterum, quia tres civitates in istâ hoc vocabulo appellantur, ante omnia discernendum, quam ex iis Propheta noster indigetaverit. Fuit enim, ut Hieronymus libro de locis Hebraicis testatur, Arbela terminus Judæ, solis ortum respiciens. Fuit & illius tempestate vicus Arbel trans Jordanem in finibus Pellæ, civitatis illius, quæ tempore vastata Hierosolymæ Christianis refugium dedit. Fuit & alius hoc vocabulo vicus, in campo prægrandi, distans ab oppido Legionis, miliaribus novem. Primam Arbelam in termino Judæ innuit eam, quæ Hebraicè scribitur אַרְבֵּל, quod Græcis pronunciatum Ἀρβαλα Hieronymi vel Eusebii ætate propter soni cognationem degeneravit in Arbela. Et Har-Bahala quidem sive civitas, sive mons à civitate appellatus Jos. 15. 11. in termino Judæ ponitur his verbis: Et transit *terminus Judæ* contra Aquilonem Har-bahalam, sive montem Bahalæ, & egreditur ad Jabneelem. Nostra Arbela cum istâ Judaicâ propter ingentem nominû diversitatem, nihil commune habet. Illam verò in finibus Pellæ transammanam in tribu Manassis, quæ in vaticinio Hoseæ præ cæteris significatam existimemus, caussa impellit nulla. Reliquum est, ut tertiam consideremus, quam in Campo prægrandi vicum fuisse, Hieronymus nos docuit. Adrichomio civitas est valida in tribu Issachar, juxta quam in firmissimis montibus præruptæ erant speluncæ. Et verò in Issacaris hereditate rectè Arbela poni Fl. Josephi, Scriptoris rerum Maccabaicarum, & Thalmudicorum testimoniis probatur. Iste enim ita vitâ per ipsum conscriptâ f. m. 1023. tradit, Arbela inferioris Galilææ vicum non longè distans à Taricheâ & Darabittâ vico, qui in Campo magno extremisque finibus Galilææ fuit. Dabo in rei fidem Autoris verba: Ἐντυχὼν ἐν ταῖς ὀπισθοκαῖς εἰς Ἀρβηλα καί μιν ἀφικόμενος, ἐνθα συνέδοξον τῶν Γαλιλαίων ποιησάμενος ἐκέλευσα ἰὸς πρέσβεις διηγέσασθαι τὴν ὄψιν τοῖς πεπεραγμένοις ὑπὸ τῶν οὐλοῦντων Ἰωνάθην ὄργην καὶ μισσοπνησίαν. κτλ. εἰ ποῖντι πρὸς τὴν Ἰωνάθην ἀποζῆξασθε ὑπὸ τῆς Τιβεριάδος ὡς ἦγον εἰς Δαργιβ. τῆα καί μιν ἐν τῇ ἐχαπαῖς τῆ Γαλιλαίας κειμένῳ ἐν τῇ μεγάλῳ πεδίῳ, πρὸ μέσον νύκτα τοῖς ἐμοῖς φίλαιξιν ἐμπήκασιν· οἱ καὶ κελύσαντες αὐτὰς τὰ ὄπλα καταθεῖναι, ἐφύλασον ἐν δεσμοῖς ὅτι τόπος καθὼς αὐτοῖς ἐντεταίμενος. i. e. His literis, *quæ Taricheis mittebantur*, acceptis, veni in vicum Arbela, quo Galilæorū conventum indixeram, ubi jussi legatos narrare, quàm indignè Hierosolymitani tulerint Jonathan malitiam &c. Interea, *quæ Tiberiade ad Hierosolymitanos cū Ananiam Jonathas mittitur*, Josepho in Galilæorum confinibus commorante, Jonathan cum suis iter faciens, ut venit Darabitta, qui vicus in Magno campo

situs est, in extremis Galilææ finibus, mediâ nocte in stationem meorum militum excubantium incidit, qui iustos arma ponere asservaverunt vitiosos, quo loco mandaveram. Qui Hieronymo & Fl. Josepho dicitur Magnus campus, in Issacaritarum hereditate, is erat pars maxima campi, quem Scriptores sacri vallem Jizreelis, & Ezdrelonem ab urbe Jezreel Jul. 6. 33. Hof. 1. 5. & ab alio vicinæ urbis vocabulo convallem Megidduntis 2. Chron. 35. 22. Zach. 12. 11. & Bikhath-Arbel, vallem Arbelorum Thalmudistæ, posteriores verò campum Sabæ vocârunt. Habet in longitudine decem milliaria, in latitudine verò ad mare Galilææ ad Jordanem usque extenditur. Gleba ejus optima est, fertilis supra modum in frumento, vino & oleo, atque adeò rebus omnibus affluit, ut, qui suis oculis aliquando conspexerunt, affirmant, sese nihil unquam perfectius, & in quod natura æquè sua omnia contulisset, adspexisse. Est in tribu Issacar. Videatur Masius in Josu. 19. 17. & Adrichomius in Theatro Terræ sanctæ. DABRITTA verò, quæ vicina apud Flavium Arbelis, nostro iudicio eadem, quæ Daberatha in tribu Issacar olim cum suburbanis, Levitis atque Sacerdotibus attributa, Jos. 21. 28. Eadem Thaboris nomen accepit, in quam, ut traditur Josu. 19. 22, Issacaritarum terminus incurtebat, ut vel hinc confirmetur id, quod Josephus tradidit, in extremis Galilææ finibus sita fuisse Dabritta. Quod ad apocryphum Scriptorem attinet, in eo pariter extant vestigia Arbelorum civitatis in Issacariticâ tribu conditæ. Is 1. Macc. 9. 2. per Græcum Interpretem (ita enim credere cogit stylus ad Hebraicas formulas per omnia compositus) in hunc modum commentatur: *Καὶ ἐπορεύθησαν ὁδοῦ εἰς γαλγαλα, ἢ παρενέβαλον ὅππῃ μεσαλαῖθ ἦν ἐν Ἀρβηλοῖς*. Per latinum verò hoc modo: Et abierunt viam, quæ ducit in Galgala, & castra posuerunt in Masaloth, quæ est in Arbelis. Si per Interpretem vel librarios licuisset, ab autore poterant Geographi discere, in Issacaris portione posita Arbela, quæ ipsi in Tabulis haut procul ab aquis Merom, i. e. Lacu Samchonite ostendunt. Nunc autem, quoniam istis codicibus securius, quàm par est, fidem addicentes, urbem statuerunt Arbela, ubi locorum nunquam fuit, & geminato errore Arbelitida regionem metropoli circumjectam, Masaloth denique oppidum in Arbelitidis Præfecturâ inclusum finxerunt, nostrum erit erroris fontem aperire, ac deinceps genuinam lectionem auctori suo reddere. Primam ergò erroris occasionem Geographis dedit, quòd putarent in Galgalis, ubi XII. lapides erexit Josua, & probrum Ægypti devolvit Dominus, locum esse, cui Arbelorum nomen datum, quia dicitur: & abierunt viâ, quæ ducit in Galgala. Sed fugit eos, Gilgal sive Galgala vocem communem esse tractui terrarum, quæ

quæ mare Tiberiadis includunt, id est, in univèrsùm notare Galilæam, quæ in superiorem inferioremque distincta magnam Palaestina partem occupavit. vide Deut. 11. 29. 30. Josu. 12. 23. Jos. 8. 23. Deinceps, quòd verba IN ARBELIS hîc non acceperunt sensu Autoris, penes quem ꝛ particula cum loci nomine sociata latinorum valuit propositionem AD vel PROPE, ut 1. Sam. 15. 4. Recensuit eos Battelaim, prope Telaim, & Jud. 16. 4. Et fuit postea, ut amaret fœminam Benachal, ad torrentem Schorek, & Num. 33. 44. Castrametati sunt BEHIJE HAHABARIM ad cumulos transituum. Interpres verò, quoniam verbum ex verbo reddere studuit, & hic mori suo obsecutus extulit IN ARBELIS, quod clariùs poterat scribere: APUD ARBELA. Item, quòd non diligentius locum Scriptoris contulerunt cum parallelâ Josephi historiâ, quam habet Antiquitatum Lib. 14. c. 27. ubi Arbela vicum vocitat non longè à Sephori seu Diocæsareâ distantem. Nec de eo dubitare nos sinunt Contribules ejus Rabbini, qui in Juchasin fol. 65. 1. Tiberiadem inter & Tisporim Arbela ponentes longiùs à Galgalis superioris Galilææ removent. Quòd denique suspectum non habuere Masaloth, quo nomine nec sacræ paginæ, neque Josephus, neq; alius rerum Judaicarum Scriptor ullam urbem laudasse certum est. Quæ enim Masal, & Hebraicè Mischal Jos. 19. 26. seu Maschal 1. Chron. 6. 59. vocata, non erat in tribu Naphthali, ubi Geographi Masaloth & Arbela contiderunt, sed in tribu Aser juxta Carmelum. Nos igitur evitatis eorum erroribus omninò corruptum judicamus locum, atque Masaloth nihili vocem, quod & Junio, doctissimo Interpreti, non abnuente Grotio, visum, pravè scribi pro nomine Casaloth vel Chesuloth, quæ civitas non minùs atque Jezreel & Sunem ad Issacarum tribum pertinet, autoremq; Hebraum in autographo, siquidem locorù sitù accuratè significare instituit, his ferè verbis animù declarasse: וַיֵּלְכוּ דָרָךְ הַגַּלְגַּל וַיְהִינוּ בְּכַסְלוֹת אֲשֶׁר בְּאַרְבֵּל  
i. e., ET ABIVERUNT VIAM VERSUS GILGALEM, ET CASTRAMETATI SUNT IN CHESULLOTH, QUÆ EST PROPE ARBELA. In Canonicis igitur Scripturis, Arbelorum uno duntaxat loco facta mentio, nisi cognato vel affini vocabulo indiget atâ lectores quamvis sedulos hactenus fugit. Cogitandum ergò, an Arbel Jos. 19. 20. nominetur HARAB-BITH? Certè & hæc laudatò loco Issacarum Civitas est, cum Kischione & Kadescho recensita, ad quas Geographorum plurimi Arbelam etiam posuere; & quod minimè contemnendum, significatibus quoque suis conveniunt Arbel & Rabbith. Rabbith enim numerosam sive auctam populo, & Arbel sive Arbe-el *Dei locustam*, i. e. ingentis locustam multitudinis sonat; ipsum quoque Arbe seu locusta nomen à multitudinis verbo

de-

deductum aptissimum in sacris literis significandæ multitudinis symbolum habetur. Jam, quid ibidem frequentius, quàm easdem urbes affinis aut cognatis vocabulis adpellari? Ne longius eam, ex eodem capite, quo Harabbithæ facta mentio, urbium nomina proferam, quæ aliis Scripturæ locis ab eadem licet mente profecta, sono vel origine discrepant. In his Chatfar-Susa & Chatfar-Surim, i. e. Villa equitatûs, 1. Chron. 4. 31. & Chatfar-Gadda, villa turmarum scil. equestrium. Jos. 19. 5. & 15. 27. Ramath & Ramoth, excelsa v. 8. & 1. Sam. 30. 27. Gath Ghepher & Gath Katsin, Jonæ patria v. 13. Rimmonhamethoar, Malogranatum circino figuratum v. 13. & Rimmono, Malogranatorum civitas. 1. Chron. 6. 62. Nahalal & Nahalol, locus, in quem pecudes ducuntur, v. 19 Jud. 1. 30. Remeth, altitudo, v. 21. eadem, quæ Jarmuth, exaltatio, Jos. 21. 29. & Ramoth, altitudines, 1. Chron. 6. 58. Hen-Gannim, fons hortorû v. 21, quæ Hanem, fontes gemini. 1. Chron. 6. 58. Chelkath, portio v. 25. quæ Chükkok, dementum, 1. Chron. 6. 60. Milch'al, petitio 26, quæ & Maschal, 1. Chr. 6. 59. Aphek, Alveus, v. 30. quæ Jud. 1. 31. vocatur Aphik. Porro, quæ Chammath v. 35. ea est Chammôn ab æstu vel calore. 1. Chr. 36. 61. & quæ v. 41. Hirschmesch, i. e. Heliopolis. Danis civitas, ea Beth-schemesch, Locus solis dicitur, 1. Reg. 4. 9. & Har-Cheres, Mons solis, Judicum 1. 35. Ecce, quam ex una Josuæ loco nominum farraginem dedimus, quæ aliàs aliis vocabulis permutata, neque tamen isthinc allata sunt omnia.

CAPUT II.

SUMMARI A.

Comma XI. V. verbotenus explicatum.

In his nomen **בְּתֵי אַרְבֵּל**, quod vertimus in populares ejus. Beth-Arbel domus Arbeli, i. e. Arbeli domicilium, vel Arbeli prosapia. Abel Beth Maacha. EL divinû nomen absconditur in Composito. Quid sit Bethphage, Abi, Zabdi, Chiel, Othni, Uri? Commatibus laudati versio.

**H**ætenus de sensu & origine vocum Schalman & Arbel. Reliquum est, ut, antequàm plenam vaticinii sententiam proferamus, cætera etiam textûs prophetici verba in eorum gratiam, qui minùs in his literis versati sunt, explanemus. **וַיִּשְׁרָעוּ בְּיָמֵי דָנִיֵּאל** Et surrexit tumultus in populis tuis. ET, i. e. propterea, ut Gen. 3. 23. Jer. 14. 22. Ezech. 18. 32. quia nempe abnegas te Dei cultorem, tuisque viribus confidis. **SURREXIT**, i. e. extitit, ortus est, crexit se, ut Num. 22. 17. Deuter. 34. 10. Mich. 7. 6. De iis, quæ propediem & certò futuræ sunt, tanquàm de præteritis loquuntur Propheta. **TUMULTUS** sc. repentinus. Venit **וַיִּשְׁרָעוּ** à **יָמֵי** subi-

to

—



ad conturbari, notatque tumultum subitum, qualis fluctuum est marinarum. Ps. 65. 8. Congenerum שואה, procella, quæ in homines irruit inopinato. Ps. 35. 8. Prov. 3. 25. IN POPULIS TUIS i. e. in popularibus tuis, vel, in civibus tuis, ut Levit. 21. 14. Virginem in populis suis, i. e. ex cognatis & popularibus ducet uxorem; & versu 15. Non impurabit semen suum in populis suis, in popularibus suis. Gen. 17. 14. Excindetur ex populis suis, i. e. ex civibus.

וְכָל־מְבַצְרֶיךָ יוֹשֵׁד

Et unumquodque munimentorum tuorum vastabitur. Unumquodque sive universitas munimentorum tuorum, i. e. quicquid est arcium & locorum, quæ in altum ædificaveris. Est enim בִּצְרָה Bitsther in alto struere sedem, Esai. 22. 10. Jerem. 51. 53. & Cananæorum urbes amplissimæ dicuntur Betsuroth arcium instar altissimarum extructæ usque ad cælum. Deut. 1. 28.

כְּשֵׁד שְׁלֵמֵן בֵּית אַרְבֵּאל בְּיוֹם מַלְחָמָה

Juxta vastationem talionis Domûs Arbeli in die belli. שֵׁד est nominis forma, ut Hose. 7. 13. שֵׁד לְהֵם Vastatio, seu, Calamitas ipsis. TALIONIS, retributionis, compensationis. Ita, ut vastator vicissim vastetur, ut Sanheribo dictum, Esa. 33. 1. Quum defieris esse vastator, vastaberis; quum absolveris perfidè agere, perfidè agetur contra te; ut Edomo, Obadiæ vsu 15. Retributio tua vertetur in caput tuum. DOMUS ARBEL, i. e. illustris illa Arbeli familia. Sumitur enim Beth pro familiâ, ut Beth Schaul, Beth David, Beth Heli, Beth Recab, Beth Jarobham, Beth Achab. Ita Beth-Arbel fuerit civitas familie Arbeliticæ, quemadmodum Abel Beth Maacha, est Abela familie Mahacathæ. 1. Reg. 15. 20. Perinde est, si Beth-Arbel accipias pro sede vel domicilio Arbeli, Arbeliticæ familie Conditoris. Sic Beth Hanath est domicilium vel civitas Hanathi Josu. 19. 38. qui fuit Pater Sangar, Judicis. Judic. 3. 31. Beth-Azmaveth, domus Azmavethi, civitas Judææ. Neh. 7. 28. Azmaveth illustrium virorum vocabulum fuit. 2. Sam. 23. 31. Ezer. 2. 24. Beth-chanan domus Chananis, vel civitas Hannæ. 1. Reg. 4. 9. Beth Patsets, civitas Patsetsi Issacharitarum Josu. 19. 21. & quod nondum ab aliis enodatum est, nomen בֵּית פִּיטָה BETH PHAGE, domiciliū Phage. Phaghi, vel Græcorum more pronanciato Ajin, Phage relictum ab integro בֵּית פִּיטָה Phagiel, quod legitur Num. 1. 13. Solet enim El divinū nomen in compositis abscindi. Sic Palti filius Lajisch, idem qui Paltiel. 1. Sam. 24. 44. 1. Sam. 25. ult. Sic Abi, matris Chizkijæ nomen. 2. Reg. 18. 2. usurpatū pro Abiel, Pater est Deus, unde eadem vocatur Abija, i. e. Dominus est Pater. 2. Chron. 29. 1. Zabdi est pro integro Zabdiel, dos Dei. Jos. 7. 1. Neh. XI. 14. Habdi pro Habdiel, servus Dei, 1. Chron. 6. 29. 1. Chron. 5. 15. Chiel. 1. Reg. 16. ult. pro Jectiel, i. e. vivit Deus, 2. Chr. 3. 13. Ezer. 8. 9. Hothni, 1. Chron. 26. 7. pro Hothniel,

afflictio Dei. Jud. 1. 13. Uri, Exod. 3 1. 2. pro Uriel, i. e. Ignis Dei. 1. Chron. 25.  
 5. DIE BELLII, quo tempore belligeratum cum hoste est. Contra leges Accen-  
 uationis Castalis hæc verba cum sequentis hemistichii verbis confundit, in  
 hunc modum vertens: quum quidem tantum fuit bellum, ut mater collisa  
 sit cum filiis. : אִם-עַל-פְּנֵי-רַשָּׁעִים Matre filiis collisâ, i. e. fundi-  
 tus extirpato genere, minimi maximique peribunt. Tarnovius: Notatur hoc  
 adagio, nihil relinquendum, quod exterminio non subjacet. Grotius: Lo-  
 quendi genus proverbiale, significans occidionem talem, in quâ non sexui,  
 non ætati parcitur. Coccejus: Ita solet loqui Scripturâ de νεοτριά vel ave pullis  
 incubante Deut. 22. 6. Inde παροισμῶδες loquendi genus usurpatur, Gen.  
 32. 11. Ne veniat & percutiat me, matrem super pullis, h. e. patrem cum li-  
 beris. His in hunc modum enucleatis vaticinium Hoseæ in latinum sermo-  
 nem ita verterimus: Propterea orietur propediem tumultus subitus in popu-  
 laribus tuis, & quicquid est altissimarum munitionum tuarum, vastabitur,  
 vastatione non dissimili ei, quâ in scelerum ultionem vastata Domus Arbeli-  
 tica, tempore, quo bellum gerebatur, matre cum filiis collisâ.

**CAPUT TERTIUM.**

**SUMMARIA.**

Beth-Arbel est Bahesæ Regis familia, Issacare oriunda; aliàs quoq; in  
 exemplum punitæ improbitatis veniens. Eadem vastaverat domū  
 Jeroboami, & vicissim justissimâ talione ab aliis vastata stirpitus in-  
 teriit belli tempore. Vastationis Bahesanæ exemplum Pekahia, filius  
 Menahem, in ipsâ aurorâ, i. e. citò excisus, & ob violatam religionem  
 & repentino popularium tumultu cum minimis denique & maxi-  
 mis interiit. Explicantur nomina Argob & Arje. 2. Reg. 15. Locu-  
 stæ parvorum, Leo magnitudinis imago.

**I**N allato vaticinio efficax violatæ religionis ultor Deus gravissimam pœ-  
 nam minatur, quæ ad modum dirissimæ ultionis pridem exacta pariter ob  
 sceleris paritatem & Regi Israelitarū, qui cum Propheta eodem tempore fuit,  
 quàm proximè sit infligenda. Duo autem cumprimis in hâc læsi Numinis  
 vindicta in considerationem veniunt, exemplar & exemplum. Quod ad pri-  
 mum attinet, existimamus domum, quæ ditissimi exterminii exemplar in  
 textu describitur, fuisse Bahesæ Israelitarū regis excisam à Zimrio familiam.  
 In hanc enim, quantū iudicio nostro assequimur, exactissimè quadrat, quic-  
 quid de Arbeliticâ excidione scriptum. Nec aliter, ubi hæc nostra sine præju-  
 dicio legerit, cordatus lector sentiet. Et Arbelam quidem, sive ea à Conditore  
 nomen traxit, sive familiæ illustis vocabulum fuit, in Issacaris hereditate ex-  
 titisse, non levibus, opinor, argumentis evicimus. Ecce vetò tibi ex eâdem  
 tribu BAHESÆ Regis domum atq; directissimè hoc asserentem Scripturam  
**Conspirationem contra Nadabum fecit Bahesæ filius Achijæ E DOMO ISSA-  
 CHAR,**

CHAR. 1. Reg. 15. 27. II. Domus Arbel ceu exemplum ~~producit~~ violatae religionis, quam sumam malitiam innuit Propheta. Atqui etiam Bahesa, filius Achijæ ceu puniæ improbitatis & idololatriæ exemplum laudari solet. Reddam domum tuam, ô Achab, sicut domum Baësæ, filii Achijæ. 1. Reg. 21. 22. III. Domus Arbel vastata vastatione compensata, ea scilicet, cujus autorem similis vastatio excepit, quia, si ut Bahesa subvertit Jeroboami familiam, ita ipse vastatus deinceps fuit. Et, quemadmodum Baesa Regem suum extirpavit, quum Gibbethonem ipse & omnes Israëlitæ obsiderent, 1. Reg. 15. 27, ita justissimâ compensatione Zimrius Baësæ familiam excidit, quum itidem populus castra haberent contra Gibbethonem. 1. Reg. 16. 15. IV. Funditus eversa est Baësæ familia, matre filiis collisâ, nullo sexûs, nullo ætatis servato discrimine, nam, quod Scriptura ait, percussit Zimrius totam familiam Baësæ, ita, ut non reliquum ei faceret mingentem ad parietem, etiam vindices ejus & amicos ejus percussit. 1. Reg. 16. 11. conf. 1. Reg. 16. 5. V. Denique Arbeli domus fuit tempore belli ad interitum. Sc. tempore, quo Zimrius Princeps dimidiæ partis curruum Elam Baësæ filium interemerat, populus, ut modò dictum, castra habebat contra Gibbethonem, quæ Philistæorum erat. 1. Reg. 16. 9, 10, 11. Nunc ad illud venio, ut doceam, quem Regum tristissimæ interuocionis capere documentum voluerit improbitatis atq; scelezum vindex Deus. Constat quippe non ad omnes Reges cladem hæc pertinere, quæ tam multis tamque insignibus notis distinguitur. Quum enim & Baësana calamitas hunc manebat, & propter violatum Bethelæ numinis cultum in ipsâ aurorâ, i. e. sub initia imperii exscindendus à popularibus erat: quærendus omninò in Israëlitarum Regibus ille est, in quem omnia hæc vehementer congruant. Congruent autem, si, quæ de Regibus in sacris monumentis scripta, solertiùs inter se comparemus, PEKAHIÆ filio Menachemi, qui Israëliticæ rei arbitrium biennio obtinuit. Is, inquam 1. à popularibus suis in subito tumultu, quod primùm vates prædixerat, interemptus fuit. Nam conspirans contra eum PEKAH filius Remalia, percussit eum Samariæ in palatio domûs regiæ. 2. Reg. 15. 25. Idem 2. per talionem occidioni datus. Nam, uti Samariæ Menachem, Pater ejus percusserat Jabe si filium Schallum: ita eodem loco Tribunus Pekachix, Pekachus, Remaliæ filius eundem interemit, 2. Reg. 15. 14. 25. 3. Porro, quemadmodum Pekahi Pater Menahemus, Thipsacenses, qui Schallumo infensi urbe eum excluderant, ulturus, prægnantes eorû discerpsit omnes: sic Remaliæ filius cum omnibus suis est extinctus. Et id ipsum quidem nostrâ sententiâ volunt verba: ויכהו בשמרון בארמון בית המלך את ארגוב ואת האריה ועמו: *quæ in hunc modum verti posse arbitramur: Et percussit eum in arce regiâ cum minimis maximisque, & quinquaginta*

quanta viris, qui erant è filiis Gilhaditarum. Argob interpretor minimos, Ach-  
 jeh maximos. Videtur enim nobis in adagii morem dictum: Percussit locu-  
 stam & leonem, de iis, qui nullo discrimine ætatis aut virium contrucidan-  
 tur. Argob quippe compositum ex ארוב locusta locustæ, i. e. cujus-  
 cunque generis locusta. Utrumque nomen his quidem insectis commune  
 est. De Arbe nullum dubium. De Gob idem affirmaverim; nam & illam  
 voce ארוב LXX. reddiderunt. Esa. 33. 4. Amos. 7. 1. Nahum. 3. 17. & no-  
 minis ratio toti generi convenit. Dicitur enim Gob vel Gobaj à scrobe vel  
 foveâ, quia in scrobibus terræ hoc insectum nascitur. Plinius Hist. Nat. lib.  
 XI. 29. Locustæ nascuntur in rimosis locis. Ova, quæ autumnî tempore pa-  
 riunt, ea durant hyeme sub terrâ. Subsequente anno, exitu veris emittunt  
 parvas nigrantes sine cruribus pennisque. Quod autem hîc voce Argob infi-  
 nuatum, id Nahum Propheta per Gob Gobaj, i. e. locustam locustarum in-  
 nuit. Hebræi enim specierum omnium comprehensionem per collataque  
 Synonyma notare solent, ut in illo: שמעון ושמעון Scipionem & baculum  
 vernaculè *Stech und Stock* / i. e. quicquid hominis vires fulcire & susten-  
 tare potest. Jes. 3. 1. Igitur Argob ex origine suâ omnis generis locustam  
 in proprio sc. significato notaverit; in figurato autem seu metaphorico pu-  
 illorum multitudinem. Nec insolitum in Scripturis, per pusillos & minu-  
 tula staturæ homines, nec non imbecilles pavidosque cum locustis compa-  
 rari. Tale illud exploratorum in Numeris: Vidimus filios Hanaki, qui su-  
 perant reliquos Gigantes, ita ut videremur in oculis nostris esse cicadæ & sic  
 essemus in oculis eorum. Num. 13. 34. & illud Jobi 39. 20. An tremefa-  
 ceres equum sicut locustam? & Ps. 109. 23. Exagitor, ut locusta. Vicissim,  
 qui sunt ingentis staturæ robustoque & imperterrito animo, illi vocari so-  
 lent Haari & Haarjeh, 2. Sam. 22. 20. quem Targum *Rabrabi*, i. e. ma-  
 gnum seu magnatem, & prioris Paralipomenon Scriptor c. 11. 12. **ARIEL**  
 adpellavit. Similiter accipiam אריה apud Jesai. 33. 7. est enim pro ארי  
 & Aric apud eund., c. 15. 9. ubi vertam: Nam aquæ Dimon plenæ sanguine  
 futura sunt, quia imponam Dimoni accessiones, evaloribus Moabitarum  
**LEONI** s. e. magnatibus, & reliquo terræ. Habet igitur causas Lector  
 noster, quamobrem laudatum locum verterimus: Et percussit Pekach  
 Pekachiam in arce regia cum minimis maximisque & quinquaginta viros,  
 qui ex Gilhaditis nati fuerunt. Tandem in eo etiam Arbeliticæ interno-  
 cionis similitudinem gessit Pekachia interitus, quod regno per seculum  
 parto non diu truebatur. Nam in secunda statim generatione desit, non  
 aliter, atque Baëia principatus in filio expiravit, juxta vaticinium: Ecce  
 propediem evacuabo post Baëlam & domum ejus 1. Reg. 16. 5. hic enim  
 participium præsentis pro paulò post futuro usurpatum, ut Gen. 35. 15.  
 qui inopinatus interitus Pekachia & à nostro prædictus est verbis  
 ארוב aurora i. e. sub regni initia planè exstendetur Rex Israël.  
 capite decimo, versu ultimo.

Coll. diss. A. 52, misc. 21